LEOPOLDVS,

bVDâ, faVente Deo, eXpVgnatâ, gLorIosVs:

SIVE

LUSUS EPIGRAMMATICI & CHRONOGRAPHICI,

Super

Munitiſſima UNGARIÆ METROPOLI

BUDA,

ARMIS CÆSAREIS Triumphata:

PRO

aVgVstIssIMo reCVrrentIs nataLIs DIeI eXortV,

à Manſuetioribus Muſis

Collegij Societatis JESU ad S. Clementem Vetero-Pragæ celebrati.

Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, 1686.

DEDICATIO:

AVGVSTO AVSTRIÆ SOLI,
DE SVPERBIA LVNÆ, GLORIOSÈ
TRIVMPHANTI,

FeLICItateM, FaVstósqVe In
VngarIa progressVs, VoVent
parnassI sIDera;

AVGVSTÆ EIVs MAIESTATI-

- reVerenter & obſeqVIosè

aDgenICVLantIa.

HISTORICO-CHRONOGRAPHICA
Expugnatæ BUDÆ
SYNOPSIS.

DEO DVCe, aVXILIóqVe DEIPARÆ VIrgInIs;
ConsILIô, InDVstrIâ, oratIone, IeIVnIoqVe AVgVstIssIMI;
VIrtVte Verò, & IngenIo, DVCVM baVarIæ, & LotharIngIæ;
(tragœDIaM otIosè ſtVpente VnIVerſo hoſtILI eXerCItV;)
bVDa, VngarIæ MetropoLIs, oppressIs In ea tVrCIs, horæ ſpatIô, eXpVgnata eſt,
seCVnDâ septeMbrIs, horâ tertIâ, qVæ nobIs ter feLIX eXstItIt.
VIVat DeVs, tantæ feLICItatIs atqVe trIVMphI AVthor!

EPIGRAMMATA
Chronographicis mixta.

Thema Chronographicum:

QVæ soLyManI fraVs rapVIt; LEO-
poLDI VIrtVs reſtItVIt.

Epigramma

HONORI

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS.

FRaus, Solymane, tua eſt; quòd Buda ſit addita Turcis:
Reddita quòd Chriſto, Laus LEOPOLDE, Tua eſt.
Quis Solymaneæ fraudis fuit Author? Id unum
Debetur ſtudijs, O Iſabella,* tuis.
Quis LEOPOLDINÆ laudis fuit Author? Id unum
Debetur meritis, Virgo MARIA, Tuis.
Arſit in Auſtriacos Iſabella furoribus: indè eſt,
Quòd credat Budam, trux Solymane, tibi.
Arſit in Auſtriacos MARIA favoribus: indè eſt,
Quòd reddat Budam, REX LEOPOLDE, Tibi.
Buda Tua eſt, LEOPOLDE! Erravi; parcito Virgo!
Tu DOMINA UNGARIÆ: Buda, MARIA, Tua eſt.

** Illa enim vocavit Solymanum, 1541.*

Chronographicum:

VIrgInIs aVXILIô LeopoLDo sVbDIta bVDa eſt.

Aliud

Aliud Epigramma

Ad Auguſtiſſimum CÆSAREM.

NOn vano, AUGUSTI menſuram nominis imples
Omine, Romuleum Cæſar adepte thronum!
Dum profligato Turcarum turbine, Chriſto
Ungariam reddis vindice Marte ſuam;
Latiùs IMPERIUM ROMANUM extendis; & AUGES
Terrarum populis, relligione, fide;
Non tantùm AUGUSTUS, ſed & AUGUSTISSIMUS, omni
(Quod res ipſa probat) jure, vocandus eris.
SEPTEMBER dedit, ut fieres AUGUSTIOR: O! ſi
Multi Septembres ſint, LEOPOLDE, pares!

Ad Auguſtiſſimam IMPERATRICEM.

Chronographicum:

bVDa, IsabeLLæ InVIDIâ perDIta; regnante eLeo-
norâ aVgVstâ, hostI eXtorta.

Epigramma:

Quam rapuit Solyman (Iſabellæ) fraudibus: armis
Budam ELEONORÆ, das LEOPOLDE, Tuæ.

Budam hoc anno, bono ordine, primò oppugnatam eſſe.

CÆſareus recto Mars incipit ordine bellum:
Buda Caput Regni eſt; *incipit à Capite:*

Buda dehinc Aquilarum ſedes.

Odryſias ſpectans Budenſibus, undique, Lunas
Turribus impoſitas, Jupiter; obſtupuit!
Vade, ait ad Martem, citò turribus excute lunas;
Scribéq; ſanguineô talia fata ſtylô:
Cedite Threiciæ (bubonum gloria) Lunæ;
Hìc locus eſt Aquilis, SOL LEOPOLDE, Tuis.

Chronographicum duplex.

1. Apage! oDrysIa LVna! raDIante soLe AVstrIæ, aVrea LIbertatIs AVrora, BVDæ assVrgIt.
2. Apage, InfaVsta orIentIs LVna! à DVpLo AVſtrIæ soLe, BVDæ DIes orItVr.

Aliud

Ad Auguſtiſſimum IMPERATOREM

De geminis Aquilis, ſuper Buda, dum caperetur, volitantibus

Epigramma:

JAm Mars Cæſareus Budam penetrârat; &, ecce!
Binæ Aquilæ circum Regia tecta volant.
AUSTRIADÛM DOMUS hæc: Aquila eſt grandiſſima, Cæſar;
Hi duo PULLI AQUILÆ ſunt, LEOPOLDE, Tuæ.

Chronographicum duplex:

ConsILIô InDVstrIâqVe Cæſareâ, BVDa à sCLaVItate TVrCICa soLVta eſt.

By.det

R/ *det* *AUGUSTISSIMUS:*
noſtro ConsILIô & InDVstrIâ BVDA eſt oppVgnata;
DEI gratIâ eXpVgnata.

Ad

Geminos Sereniſſimos ARCHI-DUCES.

Super eodem Argumento gemellum.

QUid geminæ volitant Aquilæ ſuper ardua Budæ
Mœnia, cùm Budam jam Lotharingus habet?
Eſſe Tuæ geminos Aquilæ, reor, Auſtria, Pullos;
Qui nidum, & veteres reppetiêre lares.

Chronographicum:

sVLtanVs, De nIDo non sVo, à LEOPOLDo
eXtVrbatVs eſt.

Aliud

De Iisdem Sereniſſimis ARCHI-DUCIBUS.

DUm cedit armis Buda Cæſareis, volant
Aquilæ per alta Turrium. Quid hoc rei?
Poſſeſſionem, credo, jam *capiunt* loci.

Plura Epigrammata,

Ad Quæſtionem Chronographicam:

CVr bInæ AqVILæ In BVDæ MœnIbVs FVerInt
VIsæ?

Primum.

Primum Epigramma:

QUas Aquilas cernis volitare per aëra, Budâ,
Eſt utraque Auſtriaci fida miniſtra Jovis.
Projice tela manu! Auſtriacum venerare Tonantem:
Utraque te pennis proteget uſquè ſuis.
Elatâ quòd ſi contrà cervice repugnes,
Utraque te feriet fulmine, Buda, ſuo.

Chronographicum:

bVDa ab aVstrIaCo IoVe fVLMInata, IVgo barbaro erIpItVr.

Secundum Epigr: de Aquilis.

EXcute, Buda, tuis, de turribus excute Lunas,
Quas Thracum Proceres impoſuêre Tibi.
Auſtriacæ tua tecta Aquilæ ſubiêre: deinceps
Turribus inſiſtent, Buda recepta, tuis.

Chronographicum.

Captâ à Cæſare bVDâ, sVperbæ tVrCICæ LVnæ CornVa sVnt DeCVssa.

Tertium Epigr: de Aquilis.

En! geminæ volitant Aquilæ, per mœnia Budæ:
Cur? Lunam, *Solis dupla* triumphat *Avis.*

Chronographicum duplex.

Poſt tot trIstes soLIManeæ ferVItVtIs noCtes, qVas bVDa sVstInVIt;
DIeM VrbI Iteratò InVeXIt soL aVstrIaCVs.

Quartum

Quartum Epigr. de Aquilis.

Binæ Aquilæ, ſolémque inter, Budámque, volârunt:
Indè fit Eclipſis, Turcica Luna, Tibi.

Chronographicum:

DEO sInt InfInItæ LaVDes! hostIs horæ ſpatIô BVDâ eXCVssVs eſt.

Quintum Epigr. de Aquilis.

Saucia Cæſareis cùm Buda jaceret ab armis,
Jam tendens victas, Buda in agone, manus:
En geminæ volitant Aquilæ ſuper Urbe: videntur
Advertiſſe eſcam: Buda cadaver erat.

Chronoſtichon:

NVMInIs aVXILIIs BVDA reCepta FVIt.

Sextum Epigr. de Aquilis.

Ite bonis Avibus, Mavortia pectora, quò vos
Claſſica, quò ſonitu tympana rauca vocant.
Pergite Cæſareæ, Budam penetrate, cohortes;
Jam pandunt latam mœnia ſtrata viam.
Felix auſpicium! geminas ſuper Urbe volantes
Cerno Aquilas: bona ſpes! *ite bonis Avibus.*

Chronographicum:

AQVILÆ sVper BVDA VIsæ, annVntIant nobIs VICtorIaM.

Septimum. Epigr. de Aquilis.

Quid cerno, Odryſij jam pridem ſerva Tyranni
Buda? duas Aquilas cerno: quid hocce rei?
Auſtriaci neſcis Aquilas Jovis eſſe miniſtras?
Ad nova, quæ jacient fulmina, Buda, cades.
Auſtriaci ergo *Jovis* ſceptrum venerare: lubénsque,
Nè des cervicem, da citò, Buda, manus.

Chronographicum.

LeopoLDe VIVe,& pLaVDe! bVDa rVrsVs tVa eſt.

Octavum Epigr. de Aquilis.

Congrua ſæpe ſuis dant omina nomina rebus:
Omine Buda novo, nomen habeto novum.
Eja AQUILÆ binæ ſupra te, Buda, feruntur:
Dicêris poſthac ergo AQUILEJA mihi.

Chronographicum.

bInæ aqVILæ, bInI CaMpI - DVCes, VrbIs eXpVgnatores.

Nonum Epigr. de Aquilis.

Binæ Aquilæ volitant ſuper ardua culmina Budæ;
Sub cujus pedibus ſis modò, Buda, vides!

Chronographicum:

aVXILIo MarIæ VIrgInIs, bVDa tVrCæ erepta eſt.

Decimum Epigr: de Aquilis.

Ad Sereniſſimos, Bavariæ & Lotharingiæ, DUCES.

Cùm

Cùm Mars Cæſareus pleno involat agmine Budam,
Binæ Aquilæ circum-quid ſuper Urbe volant?
Spectatum veniunt geminæ miracula dextræ,
BOJE Tuam ELECTOR; DUX LOTHARINGE, Tuam.

Chronographicum duplex.

1. sVb BaVaro & LotharIngo prInCIpIbVs, BVDA VI trIVMphata eſt.
2. VIVant CeDro DIgnI heroës, DVX BaVarIæ, & LotharIngIæ!

Aliud

Ad utrumque Sereniſſimum DUCEM:

ARX Stephanæa Tuo ceſſit fortiſſima Marti
EMMANUEL: ceſſit, CAROLE, Buda Tuo.
Utraque prodigium veſtræ virtutis! utramq;
Hoſtis haberet adhuc, ni foret EMMANUEL.* *Nobiſcum DEVS.

Chronographicum triplex.

Primum, Honori Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ.

In Ipſo tVrCICI eXerCItVs ConſpeCtV, BVDA à LotharIngo DebeLLata eſt.

Secundum, Honori Sereniſſimi Ducis Bavariæ.

ParI VIrtVte & præLIo DVX BaVarIæ arCeM erIpIt.

Tertium, Honori Cohortium Auxiliarium.

sVpparI fortItVDIne Cohortes AVXILIARES trIVMphant.

Ad

Sereniſſimum ELECTOREM BAVARIÆ,

Arcis Budenſis glorioſum Expugnatorem.

ARCIS ab *arcendo* nomen deducitur: hoſtem
Arcuit EMMANUEL, Arx Stephanæa, Tuum.
Nonne triumphalis Victori fulgeat Arcus?
Non opus eſt; Tota *Arx* unicus *Arcus* erit.

Chronographicum duplex.

1. VIVAT DEO! VIVAT ORBI! serenIssIMVs eLeCtor baVarIæ!

2. qVIa gLorIosIssIMVs arCIs bVDensIs eXpVgnator.

Epigramma ad

Sereniſſimum CAROLUM, *Lotharingiæ Ducem, & Militiæ Cæſareæ Archi-Strategum.*

CEpiſti portentoſi moliminis Urbem
CAROLE: quid de Te poſthuma Fama canet?
Hoc canet: Hîc præſens ſi CAROLE MAGNE fuiſſes,
Egiſſes *majus*, Carole Magne, nihil.

Chronographicum duplex:

1. CaroLVs bVDaM faVstè eXpVgnaVIt.

2. LotharIngVs, IngenIo & VIrtVte sVá, CæsarI bVDaM asserVIt.

Ad

Ad reliquos Heroës & Milites,
Budæ expugnatores.

EXcelſi Heroës! qui Budæ ad mœnia, Veſtram
Sacrâſtis vitam, pro Patria atque DEO.
Æternum, Budæ vos inter rudera, Nomen
Quæritis, & victâ plauditis urbe, manu.
A Ducibus Veſtris, & per Vos, Buda ſubacta eſt;
Veſtra fuêre Duces gloria, Vóſque Ducum.
Conſiliô valuêre Duces; *Induſtria* veſtra eſt:
Illos credo Caput, vóſque fuiſſe Manus.
Ergo fave, ut Capiti ſua detur Laurea, Miles;
Et laurum Capitis noveris eſſe tui.

Piis Manibus

Fortiſſimorum Heroum, in obſidione Budæ occiſorum,
EPITAPHIUM:

MArtia Progenies! æterno nomine digni!
Atque immortali NOMINA digna Cedro!
Veſtrâ ſtat vitâ, veſtro ſtat ſanguine Buda;
Buda ſuo Regi, Buda ſubacta DEO.
Pro Patria meliùs, pro Chriſto & Cæſare, cæſa
Hîc, quàm ſi ſtarent, corpora veſtra jacent.
Oſſibus hîc veſtris non ulla putredo, nec ulla
Veſtris exuviis, eſt nocitura dies.

Dicite, quæ ſcribam Tumulis Encomia veſtris?
Inſcribam: *Chriſti vos bonus eſtis odor!*

Chronographicum:

LVna orIentIs BVDâ eXtVrbata eſt: trIVMphet ChrIstIanItas.

Aliud.

Chriſtianis Militibus occiſis Epitaphium.

PUgnatum ſatis eſt! poſt ardua prælia, tandem
Mars & Mors, feſſos nos cubitum ire jubet.
Ad Budam fixit nobis Quarteria * Mars, &
Mortis ad imperium, longa Stativa dedit.
Cura fuit nobis, hanc urbem reddere Chriſto;
Dormiet in Chriſto fortis Athleta ſuo.
Iſthîc longa quies, & iners nos ſomnus habebit,
Ad Campum Elyſium dum *Tuba* ſumma *vocet.*

* *Latinitas militaris.*

Aliud:

De Chriſtiano Milite, ad Budam fortiter occumbente.

CÆſareæ Flos militiæ tua mœnia cinxit,
Et tinxit muros ſanguine, Buda, tuos.
Quos tu, Buda, tuo cùm ſis contermina *Peſto*
Paſtanas meritò dixeris eſſe *roſas.*

Aliud de ijſdem

Sanguis Chriſtiadûm tua mœnia, Buda, cruentat,
Et paſſim ſacro terra cruore rubet.

Spes

Spes bona! ſacra DEO Gens hoc de ſanguine ſurget:
Chriſtiadûm ſanguis, ſeminis inſtar, erit.

Buda Trojæ æmula.

EXcidium Trojæ, ferrô memorabile & *igni!*
(Quando tota unum, Troja, cadaver erat;
Flammâq; cùm totam, velut unica, lamberet Urbem:)
Ad Budæ excidium quid fuit? *umbra* fuit.

Chronographicum:

bVDa noſtra eſt; eXponIte Ignes trIVMphaLes,
qVI faVetIs CæſarI.

Buda armatâ manu expugnata.

FAma, *die Lunæ* captam canit undique Budam;
Non Lunæ, *Martis* ſed fuit ille *dies!*

Ad Auguſtiſſimum IMPERATOREM,
De prodigioſa Budæ expugnatæ fortitudine.

OMnia totius ſi Propugnacula mundi,
Marti, oculô vigili viſa, reviſa forent:
Poſt hæc, Buda, videns tua munimenta; ſtuperet!
Non captam te, ſed vel potuiſſe capi!
Hôc munimentô captô, LEOPOLDE, triumpha!
Et ſacra victrici tempora cinge comâ.
Aſt ubi pro tanto ſertum Victore? Per orbem
Par Capiti non eſt ulla corona Tuo!

Chro-

Chronoſtichon duplex:

LVna eXtVrbata eſt; LEOPOLDE AVGVSTE trIVMpha!

nVMInIs aVXILIô bVDa sVbaCta tIbI eſt.

Græcia, auditâ Budæ expugnatione:

In laudem Auguſtiſſimi CÆSARIS.

HUc quoq; Cæſarei pervenit fama triumphi;
Quæ ſimul inſonuit, talia dicta dedit:
Aut Poliorcetes * redivivus ſurgit ab Umbris; ** Encomium Demetrij, ob expugnationem urbium.*
Aut *Poliorcetes* es, LEOPOLDE, novus.

Ad Beatiſſimam VIRGINEM, *Ungariæ Dominam.*

LUnigeram Cæſar Budam Tibi reddidit: ergo
Sub *pedibus*, Virgo, eſt Turcica *Luna* Tuis.

Chronographicum:

MVLIer (pannonIæ regIna) VestIta soLe, & LVna sVb peDIbVs eIVs. * ** Apoc. 12.*

Buda, ſumptis Pilulis capitalibus, Luem Turcicam, & Judaicam evomit.

BUda diu ſtygio Mahometis fœta veneno,
Æternúmque ſuis immoritura malis;
Quid faciat? credit *Pilulis* opus eſſe Machaon:
Has *Recipe*: & veniet priſtina, Buda, ſalus.

Nec

Nec mora: *purgantes* pilulæ, pulviſque, parantur;
Cæſareô Medici Marte gerente vices.
Ergo propinantur Budæ pilulæque, pilæque,
Multáque nitrato pulvere mixta doſis.
Quas, ſimul ac ſumſit, tormenta ingentia ſenſit,
Extáque torminibus ſunt propè rupta ſuis.
Ac tandem evomuit fœdos, mala toxica, Turcos
E ſtomachi latebris, Thalmudicámque luem.
Dic, age! quî pilulæ, quibus eſt vis tanta, vocantur?
Sunt LEOPOLDINÆ, ſi memini, *Pilulæ*.

Chronographicum:

LaVDetVr DeVs! BVDA, eleCto hoſte, eXpVgnata eſt!

Sacratiſſimo CÆSARI,

Ob devictam Budam.

BUDA Tibi, Cæſar, victricem porrigit *herbam*;
Sub qua tot luſtris *Turcicus Anguis* * erat.

* *Latet anguis in herba. Virg. Eclog. 3.*

Chronographicum:

VIVat herCVLes AVstrIæ! hyDra tVrCICa VICtrICI ferrô DebeLLata eſt.

Eidem Sacræ MAJESTATI,

De Sereniſſimis Ducibus

Electore Bavariæ, & Duce Lotharingiæ.

EMmanuel, Carolúsque; ſacri *duo fulmina* belli,
En! quàm ſunt *Lauro*, Cæsar, *amica*, Tuæ!

Triplex Chronographicum:

1. è nVtV IoVIs aVstrII, DVo beLLI fVLMIna,
2. geMInI DVCes, BaVarVs & LotharIngVs; IngentI VIrtVte heroës!
3. tonItrV sVô LVnaM BVDâ eXCVſsêre!

Eidem Sacræ Majeſtati.

LEopolde! *Primus* ſubjicis Budam Tibi:
Felicianus ibi precor regnes diu!

Alluditur ad hos duos Sanctos, quorum feſtô Natus Imperator, 1640. *9. Junij.*

Novum Budæ Connubium.

QUem *malô* * quondam Galatæa petivit, amavit:
Et malum, ſignum cordis amantis erat. * *Malo me Galatea petit*, Virg. Ecl. 3.
Nunc te miſſilibus petit undiq;, & undiq;, malis
Cæſar, Buda: tui nunquid amore flagrat?
Quêis te, Buda, petit, ſunt *Granatenſia* * mala; * Vulgò *Granata.*
Miſit ea *Hiſpanus* *: tu cape Buda, & ama. * *Gonſalez.*
Cæſareis video, Buda intus ab ignibus ardet;
Spes bona! jam Sponſi Buda abamore calet.
Et tandem dat Victa manus. Hymenæe, triumpha!
Junge manum, Buda eſt jam, Leopolde, Tua.

Vive

Vive, tuo felix, jam nupta Sicambria Sponſo!
Hujus connubii Mars Paranymphus erat.

Chronographicum:

bVDA tVa eſt, Cæſar! LaVDetVr DeVs, AVstrIæ faVens!

De Sereniſſimis, Bavariæ & Lotharingiæ, Ducibus, Concordibus armis Budam expugnantibus.

UNus utrique animus, vincendíque unicus ardor,
Mens una, & ſtudium, conſiliúmque fuit.
Viribus hi junctis ſuperârunt mœnia Budæ;
Et Caſtrum junctâ perdomuêre manu.
His indiviſim (nam ſic vicêre) duobus
Unica debetur Laurus, & unus honor.

Chronographicum Duplex.

serenIssIMIs DVCIbVs, baVaro & LotharIngo, Vnà pVgnantIbVs,
et VnanIMI ſtVDIo VInCentIbVs, Vna sIt LaVrea!

Buda, 2. die infra Octavam S. Angeli Cuſt: capta.

QUi Budam Ducibus captam putat eſſe duobus,
Fallitur; & captæ tertius author erat.
Dux Exercituum bonus Angelus; ille præivit
Agmina noſtrorum: Tertius ergo Ducum.
Ille viam fecit vi; noſtrorúmque duorum
Dux fuit ille Ducum; Primus is ergo Ducum.

Aliud de Angelis Cuſtodibus.

BUDA, quid hoc? cerno Odryſii ferventia Martis
Pectora, caucaſeo (turpè!) rigere gelu!
Qui toties noſtros à mœnibus arcuit hoſtis,
Et retudit promptâ, Cæſaris arma, manu;
Jam, noſtrô incurſu horripilat! pallétque, tremítque!
Oſtendítque cavum, quà data porta, pedem.
Scilicet, Angelicæ facit hoc præſentia turmæ,
Cui ſtatuit celebres Cæſar in Urbe dies.* ** Feſtum S. Angeli per Ditiones Cæſar:*
Non noſtri, Cuſtos ſed terruit Angelus, hoſtes:
Quóque minùs viſus, terruit ille magìs.

Chronographicum:

DVCE Deo, eIVſqVe bonô AngeLô, BVDA eXpVgnata eſt.

Buda Armatâ manu expugnata;

Ad illam Dialecticæ Regulam:

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, &c.

B*Arbara* Cæſareis reboârunt æra metallis;
Nec tamen his ceſſit Turcica *barbaries.*
Ut ſe *Celarent*, ſubeunt *cellare*; ſed, igne eſt
Plurimus ejectus Lazarus indè foras.
In *Darij* tractant de Budæ deditione;
Hæc negat, & renuit deditione *dari.*

Ergo,

Ergo, agit in *Ferio*; caſtrúmque triumphat & Urbem,
Affinis Tecum, Dux Lotharinge, Tuus.
In *Ferio* nempe eſt Argumentatio Martis
Optima: nil vincit, nî *feriendo* probet.

Chronographicum.

LEOPOLDô, & ELEONORA AVgVstIs, BVDA DenVo eXpVgnata.

Buda octies fruſtrà oppugnata.

EX quo Chriſtiadûm de corpore Buda revulſa,
Eſt Solymanæo ſubdita facta jugo;
Octonis vicibus, tentata inſultibus Urbs eſt:
Sed contra octonos fortis ùt Octo ſtetit.
Tandem prævaluit, LEOPOLDO Cæſare, nonus;
Fortior octonis nónne novenus erat?

Chronographicum.

BVDA per InsVLtVM, horæ ſpatIô TVrCIs VI erIpItVr.

Buda die Lunæ capta.

Quando *Die lunæ* Budam *Sol* eripit *Auſtri*,
Eclipſim patitur *Turcica Luna* gravem!

Aliud ſimile.

Sanguine Buda rubet proprio, titubátque, cadítque:
Hæc, reor, Eclipſis, Turcica Luna, tua eſt.

Aliud

Buda, die lunæ, Lunato erepta Tyranno es;
Ut video, nec Sol, nec tibi Luna favet.

Luna jam Turcis inimica.

Sol, Jovis armigero* eſt æterno fœdere junctus; **Aquila.*
Luna Muſelmannis antea amica fuit:
Sed modò, Buda (die lunæ deperdita Turcis:)
Quòd nobis faveat Lunáque, Marsque, probat.
Ergo ad vicinum vertit ſe Turca Planetam,
Et fugiendo colit *Mercurium in pedibus** **Fugit enim cū exercitu, captâ Budâ.*

Allocutio ad Famam.

SUadeo, cùm tuleris captæ mala nuntia Budæ
Ad *Portam*; limen nè tere, Fama, diu.
Stans in Porta, dic: *Buda eſt cum clade cruenta*
Armatáque manu perdita! móxque fuge.
Impos namque fui, in rabiem Sultanus abibit;
Et *Portam oſtendet*, nì citò, Fama, fugis.

Chronographicum:

TrIVMpha Cæſar! sVLtanVs rIngItVr; qVIa bVDa
IpsI erepta eſt.

Aliud de fama cladis Budenſis.

Cum Fama inſonuit de Buda; *Othomanica Porta*
Fertur ad infauſtam contremuiſſe tubam.

Quid

Quid faciet, cùm Belgrado potiemur? Utroque
Diſſiliet *mota* è cardine *Porta* ſuo.

Chronographicum:

RVMpatVr InVIDIâ tyrannVs orIentIs! LVna VICta eſt.

Buda eodem, quo capta eſt die, nundinas actu in foro celebrabat.

QUô noſter avidè Miles inſultum apparat,
Res mira! Buda nundinas celebrat, die.
Nîl enſe ſtricto pelli ad aſſultum indigent,
Quos ſponte euntes, nundinæ ad merces trahunt.
O! Quantus ardor! ecce, turmatim involant
Ad nundinas! ad nundinas! ad nundinas!
Hem! Buda, quantum ex nundinis lucrum feres!
Promitto, merces diſtrahes brevì tuas.
Si temetipſam in nundinas dederis, ſapis!

Ad Sereniſſimum Ducem Lotharingiæ.

BUda, caput Regni eſt: Iſabella hoc perdidit; at, Tu
Ungariæ reddis, Dux Lotharinge, Caput.

Chronographicum:

GaVDe HVngarIæ RegnVM; qVIa tIbI CapVt repo-
nIt LotharIngVs.

Aliud, In laudem Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ.

CAROLUS AUGUSTO Budenſem reddidit Urbem;
Imò orbem, corbem Turcica Luna, tibi.

Buda { *2. Septembris perdita, An. 1541.*
Buda { *2. Septembris recepta, An. 1686.*

Al-

Altera Septembris fuerat, dum perdita Buda eſt:
Hinc *alterata* tota Chriſtianitas!
Cùm Turcæ eripitur Septembris luce *ſecundâ*,
Felix triumphat tota Chriſtianitas.

Chronographicum duplex:

1. InfeLIX BVDa! II. septeMbrIs à TVrCa sVbIVgata!

2. o! feLIX BVDa! II. septeMbrIs TVrCæ ſerVItVtI erepta!

In expugnatione Budæ, omnia ſecunda.

SI ſpectes Annum (*a*) Menſémq; (*b*) horámq; (*c*) diémque (*d*)
In capta Buda; cuncta *ſecunda* vides.
Omine felici! quòd plura *ſecunda* ſequentur;
Quòd Leopolde etiam Prime, *ſecundus* eris.

a 86. *ter ſecundo.*
b. 2. *Septembris.*
c. *ſub horam* 2.
d. *feria* 2.

Chronographicum:

II. septeMbrIs, ferIâ II, horâ II, BVDa feLICIter eXpVgnata fVIt.

Expugnata Feriâ ſecundâ.

FEria, Budenſem quâ debellavimus urbem,
Hæc nobis *numerô, réque ſecunda* fuit.

Capta mox poſt Plenilunium.

ECce! *die lunæ,* à Luna Fortuna recedit;
Budáque, cum Luna deficiente, perit.

Quos

Quos ſic deficiens Thraces ſua *Luna* relinquit,
Non poterit, quamvìs culta, * juvare *Venus*. * *Turca toti Veneri dediti.*

Buda capta

In Octava Venerab: P. Martini Stredonii.

QUi fuit octavus poſt fata beata Stredonî,
Ille Dies nobis fauſtus ùt octo fuit.
Nam Budam nobis cùm reddit, reddidit Ofen;
Hac ſinè, quàm nobis dura fuiſſet hyems!

Aliud.

Budam jure vocat fornacem Teuto: quot iſtum
Se combuſſerunt millia ponè focum!

Buda capta, Sole in *ſigno Virginis* exiſtente.

BUda expugnata eſt, dum *Sol in Virgine* regnat:
Quis Regnum Ungariæ *Virginis* eſſe neget?

Chronographicum:

ReglNa VngarIæ, Lætare! qVIa BVDA TVrcæ MaNIbVs erepta, tIbI offertVr.

Felix Budæ infortunium.

STat bene Lunigeri, poſt caſum, ſerva Tyranni
Buda; jugo heû quanto preſſa jacebat humi!
Libera Chriſtiadûm jam fulta ſeſurgit ab armis:
Nî cecidiſſet ſic Buda, jaceret adhuc.

 Aliud.

Aliud.

Buda triumphantis ſuccumbit Cæſaris armis:
Hoc è Turcarum, eſt ſurgere, Buda jugo!

Chronographicum.

BVDA OthoManICæ LVnæ ſerVItVte preſſa, per AVstrIæ FaVonIos ſeſe erIgIt.

Triplex Jejunium

Ab Auguſtiſſimo, ejúſque Aula, & Vienna, pro expugnatione Budæ ſuſceptum.

CÆſareis validè cùm Buda reſiſteret armis,
Eludens quodvis Martis & artis opus;
Terna Sibi, atque Suis dictat jejunia Cæſar;
Certus pane famem pellere, fonte ſitim.
Continuíſque ſimul precibus pius aſtra fatigat:
Jejuna hæc pietas nunquid inanis erit?
Non erit. En capitur prono jam veſpere Buda!
Jejunô *hic bolus* Cæſare dignus erat!

Chronographicum.

TaLe genVs DæMonII non eXpeLLItVr, nIsI In oratIone & In IeIVnIo.

Aliud ejuſdem Argumenti.

JEjunat Cæſar: fruſtrà ſunt prandia, cœnæ;
Budam præ quovis eſurit ille cibo.
Jejunum ſtomachum compeſcet cœna: ſed iſtam
Unica capta poteſt Buda levare famen.

Aliud

Digitized by Google

Aliud.

PEr ternos produxerunt jejunia ſoles
Utraque Majeſtas; Urbe ſequente Caput.
Prandia jejuno parat Archimagirus in Aula;
Eſuriit ſed poſt prandia Cæſar adhuc.
Cæſaream fortaſſe famem bona cœna levabit?
Poſt cœnæ eſuriit fercula Cæſar adhuc.
Ecquid conſilii? deſunt *Bellaria*: Budam
Fer *bellô* captam; haud ampliùs eſuriet.

Aliud.

Jejunat Caput Ungariæ LEOPOLDUS; in illo
Deficiente, labant omnia membra fame.
Quid mirum, Regis ſi poſt jejunia, Buda
Victa cadit? *Capitis* debilitata fame eſt.

Chronographicum:

An IeIVnIo & pIetate; an VI & robore CÆSARIs
eXpVgnata BVDa; probLeMa eſto.

Aliud Epigramma.

AUdierat captam, tria poſt jejunia, Budam
Cæſar; & hunc bolum quis ſapuiſſe neget?

Buda clavis portæ Othomanicæ.

Jam nos Belgradum, jam poſſumus ire Staboldam *
A *Porta clavim* dum LEOPOLDUS habet. * *conſtantinopolim.*

Chronographica tria.

1. BVDA, CLaVIs portæ OthoManæ, tIbI reX Vngarlæ eſt reſtItVta; *Intra!*

2. nVnC

2. nVnC BeLgraDVM eXoptat progreſsVs tVos; VenI!

3. IngreDere ConſtantInopoLIM AVgVſte reX, & IVra orIentI ſtatVe.

Buda quo die expugnata?

QUæ nobis *fauſtè* Budenſem reddidit *Urbem*,
Fauſti aut *Urbani* credo fuiſſe *Diem*.

Chronographicum:

II. septeMbrIs BVDæ InfaVſta; CæſarI Verò & faVſta & feLIX!

Buda in conſpectu totius Exercitûs Turcici capta.

QUando peracta ſuam claudit comœdia ſcenam,
Tum Spectatores Actor abire jubet.
Hactenus admiranda dedit ſpectacula mundo
Penè infinitis Buda petita modis.
Jam ceſſit noſtris; victrix jam noſtra repreſſit
Arma; diúque inter ſpémque metúmque ſtetit.
Tandem Cæſareo, ſuccumbens, cedere Marti
Cogitur, & victas tendere Buda manus.
Hæc ſtupet attonitus trepidis Vezirius armis;
Interitum ſpectans Buda ſubacta tuum.
Horrida ſic claudit finita Tragœdia ſcenam;
Spectâſti Veziêr? jam potes ire domum.

Chro-

Chronographicum.

ſpeCtâſtI & ſtVpVIſtI tragœDIaM VezIer? refer tVo ſVLtano, qVæ geſta ſInt.

In Vezirium, otioſè Tragœdiam Budenſem ſpectantem.

DIſcite, Vezirius quo robore polleat! ille
Nil motus Budâ namque cadente, *ſtetit!*

In eundem.

Attonito ſimilis, Budæ pereuntis agone
Torpes? nec contrà tela, vel arma moves?
Sed tantùm ſpectando ſtupes, ſpectáſque ſtupendo?
Ut video, totus factus es ergo ſtupor.

In eundem
Captâ Budâ mox fugientem.

STOICUS eſt, quando debet ſuccurrere Budæ;
Et captâ Budâ, fit PERIPATETICUS.

Aliud.

Stabat Vezirius, cùm Buda in agone jaceret;
Suppetias Budæ nec tulit ille ſuæ.
Quam, cùm Cæſareis ſuccumbere cerneret armis,
Corripuit ſonitu quadrupedante fugam.
Mercurius nempe (: in pedibus quem Turca gerebat :)
Antè fuit *fixus*, ſed modò *vivus* erat.

Aliud.

Rectè Vezirius pedibus ſibi conſulit: actum eſt
De Capite Ungariæ; jam timet ergo ſuo.

Aliud.

Pro *Capite* auderem ſpondere Veſirie: verùm
De *collo* fiet quæſtio magna tuo!

Aliud.

Chriſtiadûm *Capitalis* eras, & maximus hoſtis;
Cui paulò Ungariæ paruit antè Caput.
Dum *Caput hoc* perdis, quæris fugiendo ſalutem;
Et MARTI Auſtriaco factus es *à pedibus.*

Aliud.

Perdidit *Ungariæ Caput;* & ſimul indè profugit
Vezirius: nondum perdidit ergo *pedes.*

Aliud.

Spectavit Budæ excidium Vezirius, atque
Ut vidit Captam, fert citò retro pedem.

Non credo fugiſſe tamen; ſed vult citò, Budæ
Captæ, Sultano nuntia ferre ſuo.

Vezirius apud Magnum Sultanum fugæ ignominiam à ſe amoliri conatur.

Cùm primùm didici Budam obſidione teneri;
Illico ſuppetias, accelerando, tuli.
Salvabit Budam (dixi) *præſentia Turni*;
Me præſente tamen Buda ſubacta fuit.
Interea, vocor ignavus paſſim: & mea, fertur
Budæ expugnatæ cauſa fuiſſe, fuga.

Pro-

Proteſtor contrà! quòd Buda eſt perdita, cauſa
Non ego; cauſa meæ, ſed fuit illa, fugæ.

Ironica Vezirij excuſatio.

VEzirium culpant; ajúntque ſtetiſſe per illum,
Quòd ſit Sultano perdita Buda ſuo.
Aſt ego Vezirio cauſam non imputo cladis:
Certè pro Buda fortiter ille *ſtetit*!

Quô die capta eſt Buda,

Creantur Romæ 27. Cardinales.

Epigramma ad Summum Pontificem.

SEptem & vicenos hodie das Papa galeros,
Quo Turcis rapta eſt Ungara Buda die.
Illa Tibi, Chriſtóque ſuo jam ſubdita, ſacris
Oſcula vult pedibus Filia ferre Tuis.
Hæc CAPUT *Ungariæ* eſt. detur, Pater alme, galerus
De tot vicenis, unus, *huic Capiti*!

Aliud.

Tot purpuratos Principes Buda abſtulit!
Jam Purpuratos Roma ſuppeditat novos.

Aliud.

CÆSAREIS quo Buda die fuit addita Regnis,
Tot ſacro veſtit murice Papa Patres!
Cur non purpureos citiùs dedit ille galeros?
Defuerat, credo purpura: Buda dedit.

Aliud.

Aliud.

Quô Papa Patribus pileos offert rubros;
Hoc Buda pariter pileum* nacta eſt die:
Quia liberata ſervitute Turcicâ.

*Pileus ſignum libertatis.

Buda Auguſtiſſimo ſupplex.

Sum Caput Ungariæ: Cidaris mihi Turcica ſordet!
Redde mihi ſertum, REX LEOPOLDE, meum!

Corpora Turcarum à Judæis in Danubium deportari juſſa.

DEfluus Oſmanidas Stamboldam devehit Iſter;
Sed mallent pedites, credo, redire domum!

Aliud.

Ut Paradiſiacos poſt fata intretis ad hortos;
Defluite; & *portam* quærite, quæſo, priùs.

Aliud.

In Patriam refluunt, ſinè nauta & remige, Turcæ!
Quiſque ſibi ſuus eſt navita, quiſque Charon.

Aliud.

Turcis in flumen jactis, nolite precari,
Ut ſit terra levis! ſit magìs *unda* levis!

Aliud.

Imò, levis nec ſit ceſpes, nec terra, nec unda:
Corpora Turcarum ſint levia ipſa magìs!

Digitized by Google

Nî levia hæc fuerint, imum mergentur in Iſtrum;
Ad *portam*, aut *portum*, non revehenda ſuum.

Aliud.

Pulvere ſunt pyrio, ſunt obſita corpora Thracum
Fumô: utrumque ſuis abluet Iſter aquis.

Aliud.

Ite novi Jonæ! date corpora Piſcibus Iſtri; *Jonæ 1. cap.*
Non vos eripiet *tertius* indè *dies.*

Aliud.

Corpora Turcarum deportat Hebræus ad Iſtrum;
Nimirum, Maurus ſic *lavat æthiopem.* *Proverb.*

Ad Famam, nè pergat Conſtantinopolim.

PArce tuæ, vaga Fama, tubæ, longíſque viarum
Tractibus; *ad Portam* non opus ire tibi.
Corpora Turcarum, rapidum devecta per Iſtrum,
Nuntia, de Budæ clade, ſonora ferent.

Sultanus Budam audiens captam, capillos evulſit.

AD Budæ captæ Sultanus nuntia, fertur
Præ furia, vulſis irrugiiſſe pilis.
Quid faciet raptô Belgradô? protinus ille
Tunc fiet toto vertice, & ore, glaber.

Aliud in eundem.

Præ curis meritò vellis, Sultane, capillos:
Sic perge! & nunquam (ſpondeo) *canus* eris.

E *Come-*

Cometa Anni 1680. Turcis fatalis.

HOrridus, ante annos ſenos, hæc regna Cometes
Terruit, ingentes formâ imitante *ſcopas.*
A Mahometanis nimirum *ſordibus*, hiſce
Expurganda ſcopis Ungara terra fuit.

Aliud.

Crinitum, triſti quod fulſit in æthere, ſidus
Reſpiciens *Portam* Thracia Luna tuam,
Quid portendebat? clades, mortéſque; brevíque
Crines vulſuram Teque, Tuóſque, docet.

Aliud.

Stella minax, inſtar Virgarum, tendit ad Ortum:
Virga hæc pro dorſo, Turca, parata tuo eſt.

Aliud.

Fertur ab occaſu, crinitum Sidus, ad ortum:
Nuntiat occaſum, Turcica Luna, tuum.

Ruina Urbis Budenſis.

PAnnonici quondam, Sicambria, gloria Regni;
Quæ decor Ungariæ, quæ decus orbis erat:
Tam jacet in propriis nunc deformata ruinis,
Ut dicas: Budæ Buda ſepulta jacet!

Buda Chriſtianorum Cæmeterium.

B*Uda* quid eſt? *Martis* puto *Cæmeterion* eſſe:
Quô nullum Tellus Ungara majus habet.

Hoc

Digitized by Google

Hoc anno plures ibi ſunt *à Marte* ſepulti;
Quàm totam ſint, *à Morte*, per Ungariam.

Buda nunc utrinque fluviò cincta.

BUda, quid hoc? gemino video te flumine cinctam;
Alveus hinc Iſtri; ſanguinis indè latex.
Sanguineo cinxit te flumine clara virorum
Virtus, pro te animas qui poſuêre ſuas.
Concolor Auſtriaco ſic nempe es facta colori;
Ex Iſtro candes; tincta cruore, rubes.

Autumnus fœcundus.

COlligit Autumnus fructus: *Bellaria* nobis
Bellò in Septembri Buda ſubacta dedit.

Chronographicum:

BVDA In septeMbrI ab aVgVſto Cæſare, barbaræ serVItVtIs IVgo LIberata:

Inter Tormenta bellica Budæ reperta,
Grandiora quatuor *vocabant Turcæ* Evangeliſtas.

PRæcones Evangelii Tibi, Buda, quaternis
Legem Alcorani perſonuêre tubis.
Chriſti Evangelium LEOPOLDUS reddidit; annon
Jure habeat titulum REGIS APOSTOLICI?

Chronographicum duplex.

1. LEOPOLDVs IGNATIVs, reX apoſtoLICVs, profLIgatô InfanDô TVrCICo aLCoranô,

2. EVANGELIVM ChrIſtI BVDæ, totIqVe Vngarlæ reſtItVet.

Praga Budam alloquens.

VIVat BVDA ab othoManICæ serVItVtIs IVgo LIberata!
hoC eX anIMo sVo VoVet gratVLabVnDa praga.

Buda Pragæ reſpondens:

gaVDe qVoqVe,& eXVLta, BoheMIæ CapVt praga! qVIa BVDa ſoror tVa, Vngarlæ MetropoLIs, tVrCIs erIpItVr.

Ad tres Principales

Contra Hoſtem Chriſtiani Nominis Confœderatos,

ACROAMA.

VIve, triumphali circumdata tempora lauro,
Ter felix, ſacro fœdere juncta Trias!
Jurati, fœdam Turcarum exſcindere Gentem,
Et reparare ſacram toto Oriente fidem.

Pugnatum ſatis eſt! jam dextera feſſa quieſcat:
Sudatum ſatis eſt! mucro cruente, ſile!
Dulce quies feſſis: ſub fronde quieſcite Quercûs;
Convenit Herculeis arbutus iſta Viris.

Jam

Digitized by Google

Jam ſecura quies! poſtquam victricibus armis
Thrax conciſa jacens bellua mordet humum.
Ut ſit amœna quies, veſtros narrate triumphos,
Seu, LEOPOLDE, TUOS; ſive, POLONE, TUOS;
ADRIA ſive TUOS. Vobis hæc otia fecit
Is, qui ter-gemini fœderis autor erat.
Hoc duce, Threjiciæ fregiſtis cornua Lunæ;
Hoc duce, Biſtonios diripuiſtis agros.
Hoc duce, vos niveis vexit Victoria bigis;
Orbita quà Thracum ſanguine pota, rubet.
Hîc requies feſſis, dum Flora edormiat; & Vos
Flore coronatus Majus ad arma vocet.
Tunc nova laurorum vos meſſis ad arva vocabit:
Surget ubi æternæ laudis opima ſeges.

Ad reliquos Chriſtianos Principes,
PARÆNESIS.

IMperij Proceres! quibus eſt ſua gloria cordi;
Sed magè quos Chriſti nominis urget honor:
Veſtris ſuppetijs, magna jam parte, perempta,
Formidat reduces Hydra Othomana manus.
Virulenta tamen (quia necdum colla reſecta
Omnia) peſtiferô prælia dente movet.
Et ſenſim, attritas reparabit ſedula vires,
Herculis extremâ nî cadat icta manu.

Ergo, agite! atque novis, veteres cumulate triumphos,
Vires atque viros ſuppeditate novos.
Nec fiat veſtri placabilis ira mucronis,
Quam-Lernæa diu bellua ſpirat adhuc.
Fronte capillatâ nunc eſt Occaſio; nunc, nunc
Eſt exterminii ſpes, Mahomete, tui:
Noſtra ubi tam claris Deus excitat arma triumphis,
Fœderis & *triadem* dum juvat *Una Trias.*

Chriſtianitas Auguſtiſſimo.

LEOPOLDE! capta Buda *Belgradum* vocat!

℟. *Genius Auguſtiſſimi.*

FAciemus illuc, proximô *Bellô*, *gradum.*

Chronoſtichon.

ferrea ContrIVIt LeopoLDVs CornVa LVnæ:
hInC LæsIt raDIos thraCIa LVna sVos.

Auguſtiſſimo IMPERATORI
Arcus Triumphalis.

BUda tot, ac tantis tentata inſultibus antè,
(Quæ nullo potuit Marte, vel arte, capi:)
Illa Tuis armis ceſſit victricibus! *Arcus*
Luna triumphalis ſit LEOPOLDE tuus!
Erravi! pedibus calcetur Luna! ſit *Arcus*
Magne, *triumphalis Sol*, LEOPOLDE, tuus!

Quid

Digitized by Google

Quidquid ad Occaſum deſcribit *hic Arcus* ab ortu,
Sit, Cæſar, Regnis ultima Meta tuis.

Ad SS.Dominum noſtrum

INNOCENTIUM XI.

Sacri contra Turcam fœderis zeloſiſſimum Promotorem.

CÆſarei ſunt Magne Tui quoque, Papa, Triumphi:
Diviſam Laurum cum *Patre*, *Natus* habet.
Illi cura fuit, fortes educere turmas:
Cura Tibi, fortes *ære* ciere viros.
Quòd fuſi in campo, quòd pulſi è mœnibus hoſtes;
Tu prece, Tu pretio Ductor & author eras.
Tu cœptum triplici ſacrum urges fœdere bellum;
Sed Tua in hoc bello dextera, Cæſar erat,
Scilicet utrique eſt Chriſti Reſpublica cordi,
Et cauſam fidei fecit uterque ſuam.
Cæſarei ſunt ergo Tui quoque, Papa, Triumphi!
Diviſam Laurum cum Patre Natus habet.

Duo Carmina CABALISTICA,

Ad Auguſtiſſimum Imperatorem,

Ob Turcam debellatum:

1. *CÆSAR belligeræ convulſit cornua Lunæ:*
2. *Hinc retrahit lumen barbara Luna ſuum.*

Valor

Valor Litterarum.

A.	b.	c.	d.	e.	f.	g.	h.	i.	k.	l.	m.	n.	o.	p.	q.	r.	s.	t.	u.	x.	y.	z.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.

Proba Hexametri.

C - 3.	b - 2.	c - 3.	C - 3.	L - 20.
Æ - 6.	e - 5.	o - 50.	o - 50.	u - 200.
S - 90.	l - 20.	n - 40.	r - 80.	n - 40.
A - 1.	l - 20.	v - 100.	n - 40.	æ - 6.
R - 80.	i - 9.	u - 200.	u - 200.	266.
180.	g - 7.	l - 20.	a - 1.	
	e - 5.	s - 90.	374.	
	r - 80.	i - 9.		
	æ - 6.	t - 100.		
	154.	712.		

Ex his Summis { 180. 154. 712. 374. 266.

Conficitur Annus 1686.

Proba Pentametri.

H - 8.	r - 80.	l - 20.	b - 2.	L - 20.	ſ - 90.
i - 9.	e - 5.	u - 200.	a - 1.	u - 200.	u - 200.
n - 40.	t - 100.	m - 30.	r - 80.	n - 40.	u - 200.
c - 3.	r - 80.	e - 5.	b - 2.	a - 1.	m - 30.
60.	a - 1.	n - 40.	a - 1.	261.	520.
	h - 8.	295.	r - 80.		60
	i - 9.		a - 1.		383
	t - 100		167.		295
	383.				167
					261

Summa dat Annum 1686.

Votum totius Chriſtianitatis,

Pro Auguſtiſſimo, & Invictiſſimo CÆSARE.

LEOPOLDVs, IMperator AVgVstVs, hostIbVs sVIs terrIbILIs,
FIDeLIbVs Verò popVLIs sVIs reX aMabILIs,
ChrIſtIanæ orthoDoXæ FIDeI VInDeX gLorIosVs,
VIVat DIV; IMperet sVaVIter; regnétqVe feLICIter!

A M E N.

Digitized by Google